

cedentem ipsum motum, unde non motui, sed instrumento constituto virtuose attribuitur productio effectus principalis.

DXXXVII. Quod autem adducitur de instrumentis artificiosis, dicimus quod applicatio artificis duo facit, et movere instrumentum, ac motu locali ordinare; et movere artificiose, ut videlicet artificiosum effectum producat. Quantum ad motum præcise, solum artifex est applicans, securis vero per suam aciem expellit corpora, aut movet localiter; quantum ad formam artificiosam non se habet artifex ut applicans, sed ut communicans instrumento virtutem ad effectum artis, qui de novo tunc producitur, et non per solam virtutem naturalem, sed per motionem artificiosam, ut in pulsatione chordarum patet, quando simplici motu pulsantur, aut quando artificioso et harmonico.

#### DUBIUM NONUM ET ULTIMUM.

AN ITA SIT DE FACTO, QUOD SACRAMENTA NOVÆ LEGIS SINT CAUSÆ PHYSICÆ GRATIÆ; AN MORALES?

*Conclusio est affirmativa.*

DXXXVIII. Pro cuius intelligentia advertendum est, quod hoc differt inter causalitatem physicam et moralem, quod moralis non respicit effectum quoad esse suum, et educationem extra causas, sed respicit voluntatem a cuius dispositione vel efficacia pendet effectus. Unde causa moralis solum habet movere voluntatem per propositionem objecti, non autem habet in ipsum effectum influere per operationem et efficaciam, seu actionem productivam ipsius esse. Unde causa moralis supponit physicam operativam effectus; ipsa vero effectum non ope-

ratur, sed expectat ab alio, ut dicit D. Thomas. Et loquimur de morali causalitate, secundum quod condistinguitur a physica, et seorsum ab ea reperitur. Quando enim agens physicum alicujus effectus est agens liberum, quia videlicet per intellectum et voluntatem operatur, tunc non repugnat esse simul morale, quia libere agit, dum agit physice; sed non loquimur in præsentem de hac moralitate causæ, sed de causalitate morali.

DXXXIX. Bene stat enim, quod causa moralitatem habeat, quia causa libera est, et tamen physice operetur, quia effectum in esse producit; si tamen causalitas moralis sit, nunquam attingit rem in esse, nec influit realiter in ipsam per productionem, sed solum extrinsece se habet, ut movens moraliter voluntatem ad hoc ut operetur, vel applicet aliquid ad effectum. Et hoc est quod quærimus in præsentem, an taliter sacramenta sint causa gratiæ, quod non solum causalitatem moralem habeant, sed etiam physicam. Et quia similis ratio est de humanitate Christi et de sacramentis, ideo consequenter afferemus in probationem ea, quæ de humanitate Christi dicuntur, et quæ de sacramentis.

DXL. Igitur quod attinet ad S. Thomam, clare tenet quod humanitas Christi et sacramenta physice influant gratiam. Et primo quidem id patet ex tertia parte, quæst. xiii, art. ii, ubi loquens de anima Christi, in quantum est instrumentum unitum Verbo, dicit: « Quod habet virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quæ conducunt ad finem incarnationis; non autem ad annihilationem vel creationem; » si autem non loqueretur de instrumento physico, sed morali, vel de conditione extrinsecus requisita, clarum est

quod non posset negare virtutem moralem ad creationem vel annihilationem. Nihil enim repugnat quod Christus impetrare posset annihilationem diaboli, vel creationem unius Angeli aut animæ.

DXLI. Secundo, quia in quæstione lxxxiv ejusdem tertiæ partis distinguit aperte modum physicum, quo passio Christi operata est salutem nostram, a modo morali. In primo enim articulo determinat, quod per modum meriti operata sit salutem; in secundo, quod per modum satisfactionis; in tertio, quod per modum sacrificii; in quarto, quod per modum redemptionis; qui omnes quatuor modi sunt causalitatis moralis: ergo quando postea in articulo sexto determinat, quod etiam per modum efficientiæ operata sit salutem tamquam Verbi instrumentum, manifestum est loqui de efficientia physica. Nam si de efficientia morali loqueretur, eo ipso quod loquebatur de operatione per modum meriti et satisfactionis et redemptionis, loquebatur de efficientia morali: ergo si præter omnes istos modos addit modum efficientiæ instrumentalis, plane loquitur de efficientia, quæ non est moralis, si quidem de ipsa in quatuor aliis articulis locutus fuerat.

DXLII. Et ideo S. Thomas in articulo sexto ponens argumentum: « Quod non potest idem operari per modum meriti et per modum efficientiæ, quia ille qui meretur expectat effectum ab alio: ergo si passio Christi operata est salutem per modum meriti, non potest operari per modum efficientiæ, » respondet: « Quod passio Christi respectu diversorum habet meritum et efficientiam; respectu enim divinitatis habet efficientiam; respectu vero voluntatis humanæ, habet rationem meriti. » Quæ responsio nulla

esset, si non loqueretur de efficientia physica, sed morali; tum, quia efficientia moralis expectat effectum ab alio, cum ipsa non det esse effectui; S. Thomas autem loquitur de efficientia, quæ non expectat effectum ab alio, sed ipsa facit effectum; tum, quia efficientia moralis respectu voluntatis humanæ Christi est, et non solum respectu divinitatis, cum divinitas physice efficiat, et non sola causalitate morali.

DXLIII. Similiter in quæstione quadragesima nona, articulo sexto determinat: « Quod mors Christi in fieri operabatur salutem, sicut passio; mors autem in facto esse non potuit operari salutem per modum meriti, sed solum per modum efficientiæ, quando jam erat anima a corpore separata, ac adeo non merebatur; » et idem docet de resurrectione Christi quæst. lvi, art. i ad tertium, super epistolam ad Romanos, cap. iv, super illa verba: *Resurrexit propter justificationem nostram*, ubi ostendit S. Thomas, resurrectionem Christi non operari per modum meriti, quia Christus resurgens jam non erat in statu merendi, et ideo solum operari per modum efficientiæ; si autem per efficientiam intelligeret moralem efficientiam, non distingueret illam contra meritum; meritum enim moralis efficientia est.

DXLIV. Nec potest dici, quod efficientia illa, licet non sit meritum, est tamen impetratio, quæ non repugnat Christo, etiam post resurrectionem. Contra hoc enim est primo, quia tunc non ipsa resurrectio, neque ipsa ascensio in cælum haberet causalitatem in nostram salutem, sed actus voluntatis aut intellectus, quo Christus post resurrectionem et ascensionem oravit. D. Thomas autem de ipsa resurrectione et ascensione, et de ipsa morte in facto esse, prout est sepa-

ratio animæ a corpore, dicit quod per modum efficientiæ operata sunt : ergo non loquitur de oratione aut impetratione, sed de causalitate physica, qualis resurrectioni ipsi competere potest.

DXLV. Secundo, quia D. Thomas dicit : « Quod mors, resurrectio et ascensio Christi operata sunt salutem nostram, ut instrumenta divinitatis, et ex virtute divinitatis sibi conjuncta ; » oratio autem et impetratio Christi Domini non sunt ejus humanitatis, ut instrumentum divinitatis, quasi divinitas sit principale agens in orando et impetrando ; sed voluntas et intellectus sunt ibi principales causæ, cum oratio et impetratio sint actus vitales, et in causalitate morali Christus non se habet instrumentaliter, sed principaliter : ergo loquendo de instrumentali virtute, loquitur S. Thomas secundum causalitatem physicam, non moralem.

DXLVI. Tertio, quia ad causalitatem quam sacramenta et humanitas Christi habent in gratiam, S. Thomas ponit virtutem specialem per modum transeuntis, receptam in illis ex virtute divinitatis ; virtus autem hæc specialis est, realis et physica ; alias si non esset realis et physica, non diceret D. Thomas : « Quod est reductive in genere, sicut motus ; quod non repugnat esse in re corporea per modum transeuntis : » omnia enim ista ad entitatem moralem, quæ in determinatione voluntatis consistit, necessaria non sunt. Si ergo illa virtus est realis et physica, causalitas ad quam S. Thomas ponit talem virtutem, non est causalitas moralis ; hæc enim sine tali virtute physica fieri potest ; non enim consistit in reali influxu. Illam autem virtutem specialem manifeste ponit sanctus doctor in sacramentis, quæst. LXII, art. iv, et in passione Christi,

quæst. XLVIII, art. vi, et in morte ejus, quæst. XLIX, art. vi, et in resurrectione, quæst. LVI, art. iii.

DXLVII. Stabilito ergo ; quod sit hæc sententia S. Thomæ, probatio ejus sumitur et ex auctoritate sanctorum, et ex congruentiis : longum autem esset recensere diversa sanctorum patrum dicta circa hanc efficientiam. Notentur verba S. Leonis papæ sermone quinto de nativitate, ubi dicit : « Virtus Altissimi, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem. » Manifestum est autem quod virtus illa Altissimi non causalitate morali, sed physica fecit, ut Maria pareret Salvatorem ; eadem ergo facit baptismum regenerare.

DXLVIII. Notentur et verba Gregorii Nysseni in libro de baptismo, ubi respondens dubitationi, qua aliquis interrogare posset, qua ratione aqua regeneret, respondet : « Id fieri, sicut in nativitate hominis secundum carnem. » Et adhuc instans : « Dices, inquit, fortassis, semen causa effectrix hominis est ; audi igitur contra a nobis, quod aqua quæ benedicatur, purgat et illuminat hominem. » Ubi manifeste Nyssenus de physica efficientia loquitur ; non enim aliter semen effectrix causa est : ergo et baptismus physica efficientia illuminativus est.

DXLIX. Optime etiam Cyrillus Alexandrinus lib. ii in Joannem, cap. XLII, inquit : « Quod sicut viribus ignis intensius aqua calefacta urit, non aliter quam ignis ; sic Spiritus sancti operatione, aqua qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem et potentiam. » Unde et merito talem virtutem aquæ miratur Augustinus tractatu LXXX in Joannem, ubi dicit : « Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat ? » Si autem sacramenta solum tamquam

signa, aut moralia instrumenta se haberent, ut quid patres tam sollicitè virtutem in eis quærunt, et similitudine agentium physicorum explicant ? Videantur multæ aliæ auctoritates sanctorum apud Suarez disput. ix, sect. ii, et Cabrera super istum articulum disp. iii, §. x. Et quidem S. Thomas totam rationem efficientiæ sacramentorum ex sanctorum auctoritatibus deducit ; qui dicunt sacramenta novæ legis non solum significare, sed et causare gratiam. Modus autem moralis operationis in rebus inanimatis non transcendit rationem signi, ut inductive facile constabit ; et facit satis Concilium Tridentinum sess. vi, cap. vii, ubi enumerans causas physicas et morales justificationis nostræ, post causam finalem, efficientem et meritoriam ponit pro instrumentali baptismum ; si autem baptismus esset moralis causa, vel ad meritoriam reducendus erat, vel ad rationem signi ; proprie autem instrumentalis non est, nisi quod physice instrumentalis est.

DL. Ratio autem pro hac parte solum sunt congruentiæ, quia tota causa a priori hujus pendet ex voluntate Dei. Præcipuæ autem congruentiæ sunt. Primo, ex modo causandi sacramentorum novæ legis, qui elevatior et sublimior esse debet, supra modum causandi sacramentorum veterum, itemque efficacior ; constat autem moralem causalitatem non defuisse sacramentis antiquis, cum ad præsentiam illorum Deus gratiam daret, præsertim in circumcissione. Et licet modo sacramenta eam conferant ex meritis Christi jam exhibitis, tamen si hoc non extrahit sacramenta nostra a modo causandi causalitate morali, non excedunt in modo operandi nostra sacramenta illa antiqua.

DLI. Secundo, quia causalitas mo-

ralis, si qua in sacramentis intervenit, non excedit rationem signi ; sed sacramenta novæ legis non solum significant, sed efficiunt quæ significant : ergo ut habeant plus quam significare, oportet etiam quod habeant aliquid ultra causalitatem moralem, si quidem per illam non extrahuntur a ratione signi. Minor constat aperte ex Concilio Florentino et Tridentino sessione vii, can. vi, ubi definitur sacramenta novæ legis non esse tantum signa externa justitiæ acceptæ, aut notas quasdam christianæ professionis, sed continere et conferre gratiam : » ergo necesse est aliquam causalitatem ponere in sacramentis, quæ non sit sola significatio.

DLII. Major autem probatur, quia sacramentis non potest competere causalitas moralis ratione alicujus actus moralis, quem ipsa exerceant et eliciant, sicut meritum, aut satisfactio, aut redemptio sunt actus moralis causalitatis : ergo solum potest competere causalitas moralis secundum quod sunt aliquid relictum ab actibus moralibus, ut contineant eorum valorem et efficaciam in effectum. Non possunt autem hoc continere, nisi significando et repræsentando talem efficaciam et valorem, sicut chirographum repræsentat decretum legis, et denarius plumbeus est signum voluntatis regis dandi tale aut tale beneficium : ergo omnis causalitas moralis communicata sacramentis solum potest esse per modum signi significantis efficaciam actuum meritoriorum et moralium Christi. Et hujus ratio est, quia non est causalitas moralis in istis inanimatis, nisi in quantum movent voluntatem aliquam, ut ipsis positus conferat effectum ; quæ motio fieri ab eis non potest nisi ut a signo.

DLIII. Tertia congruentia est, quia

hic modus operandi physice instrumentaliter gratiam est possibilis, ut ostensum est: ergo valde decet humanitatem Christi et ejus sacramenta; præsertim cum non repugnet auctoritas aliqua, imo si in proprietate et rigore intelligenda sunt loca Scripturæ, de virtute et causalitate physica loquuntur, sicut illud: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes*, Lucæ vi: et: *Ego sensi virtutem de me exisse*, Lucæ viii, quæ ad moralem virtutem referre improprium est. Et de carne Christi communiter Concilia et sancti dicunt esse vivificatricem; quod morali causalitati non convenit, cum hæc non ad carnem, sed ad animam pertineat. Sic autem appellatur in Concilio Ephesino canone xi, et in epistola synodali ad Nestorium. Eodem autem modo loquuntur Concilia et Scriptura de sacramentis.

DLIV. Quod vero sacramenta sint etiam causæ morales nostræ sanctificationis, ex dictis colligi potest, quia sunt signa practica continentia pactum Dei de danda gratia per appositionem illorum: ergo sicut causalitas physica non excludit significationem, sic nec causalitatem moralem. Item, quia ex pacto suo et promissione infallibili facta sacramentis, movetur Deus ad dandam gratiam per illa: ergo sunt causæ morales, si quidem non possunt movere Deum nisi moraliter, videlicet tamquam pactum et promissio facta a Deo; et ita sicut Deus manet obligatus ex promissione, moraliter loquendo, ita et sacramenta, quibus facta est hæc promissio, dicuntur causa moralis, ut Deus det gratiam per illam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

DLV. Objicies primo locum D. Thomæ in iii, dist. xvi, quæst. i,

art. iii, ubi inquit D. Thomas: «Quod ad actiones miraculosas nulla creatura, nec etiam anima Christi, habet potentiam, nisi per modum intercessionis aut orationis:» ergo solum agnoscit modum moralem in instrumento; quem locum objicit Vazquez in part. disp. LVII, cap. v. Respondet Cajetanus D. Thomam retractasse sententiam in articulo secundo quæstionis XIII, vel per ly modum orationis, aut intercessionis comprehendere modum instrumentalem. Ridet Vazquez hanc solutionem, quia est idem, ac si per rubrum intelligeretur viride. Sed non advertit verba D. Thomæ ibi in eadem distinctione, ubi subjungit: «Et hoc fuit signum deitatis in Christo, quod imperando signa perficiebat, et non orando, sicut alii sancti:» ubi clare S. Thomas alium modum admittit, quam per modum orationis, quæ est instrumentum morale. Imperium autem Dei cum sit physice operans, per illud potest humanitas Christi physice instrumentaliter operari. Et ita subdit ibi solutione ad quartum: «Quod miracula sanitatis faciebat Christus non virtute humanitatis, sed divinitatis.

DLVI. Objicitur secundo ratione: Sacramenta non possunt aliter concurrere ad nostram justificationem, quam passio Christi Domini, ex qua habent virtutem: sed passio Christi non concurrat physice ad nostram justificationem: ergo neque sacramenta. Minor probatur, quia passio Christi jam præterit, et non est actio physice, sicut nec mors ejus: ergo non potest physice operari, si quidem quod non est, neque physicam habet operationem.

DLVII. Nec potest dici, quod concurrat physice humanitas Christi, quæ passa est; nam humanitas modo in cælo existens nullum motum, aut actionem imprimit sa-

cramentis: ergo ex illa humanitate sacramenta non habent physicum influxum, et consequenter illum absolute non habent, si quidem non magis possunt physice influere quam humanitas Christi.

DLVIII. Confirmatur: Non minus habet mundare et dare gratiam baptismus fide susceptus recedente obice, quam si fide non suscipiatur; sed salvatur vere et proprie causalitas gratiæ in baptismo recedente fictione, sine physica causalitate: ergo et quando suscipitur sine obice. Minor probatur, nam quando recedit fictio jam baptismus non est, nec aliquid illius remansit, quod causet physice virtute baptismi. Character enim de se non est instrumentum ad producendam gratiam, ut patet quando simul character et gratia dantur; tunc enim gratia non datur mediante character: ergo neque quando non datur simul gratia. Non est autem assignare aliquid aliud, quod remaneat ex baptismo physice, ut physicum habeat influxum. Et simile argumentum potest fieri de gratia sacramentali, quæ est proprius effectus sacramenti; talis autem sacramentalis gratia, cum addat auxilium divinum super habitualementem gratiam, ut dicit S. Thomas sequenti articulo non datur statim cum effectu sacramenti, sed postea suo tempore; et plerumque effectus sacramentalis est solum aliquid morale, ut in baptismo remissio totius pænæ: ergo gratia sacramentalis non efficitur physice a sacramentis.

DLIX. Respondetur negando minorem, ut negatur a D. Thomæ quæst. XLVIII, art. vi, et quæst. XLIX, art. vi, et de resurrectione Christi agens quæst. LVI, art. i ad tertium. Ad probationem dicitur, quod passio et mors et resurrectio Christi licet jam transierint in actu, et in ratione

motus aut actionis, manent tamen virtute in effectu suo, videlicet in humanitate, quæ affecta fuit passione, morte et resurrectione. Et quia hæc humanitas sic affecta, modo et in æternum manet, ideo modo et in æternum consummare potest sanctificatos virtute sua efectiva. Sic enim dicit S. Thomas quæstione illa LVI, art. i ad tertium: «Quod resurrectio Christi est causa efficiens et exemplaris nostræ resurrectionis. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute ejus; et ideo sicut alia quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, ex virtute divina sunt nobis salutaria, ita et resurrectio ejus.» Ex quibus verbis apparet, non esse mentem S. Thomæ, quod actio ipsa, quæ jam præterit, assumatur ut instrumentum divinitatis, sed humanitas, quæ secundum actionem illam resuscitata manet, et passa est aut mortua; et ideo resurrectio dicitur concurrere physice, quia humanitas resuscitata concurrat.

DLX. Ad id vero quod dicitur, quod humanitas modo in cælo existens nullum motum, aut actionem imprimit sacramentis, respondetur id non esse impossibile, quia bene potest divina virtute res distans operari in id quod distat, quia ut S. Thomas ibidem dicit, virtus illa præsentia attingit omnia loca et tempora. Et quidem cum Suarez concedat disp. ix, sect. ii ad quintum, quod humanitas Christi immediate influit in effectum sacramenti, et causat gratiam in anima simul cum sacramento, non video cur non possit concedi, quod etiam imprimit in ipsum sacramentum; cum tam distans sit a Christo sacramentum, sicut anima, in qua ejus effectus causatur; et ita ad-